

Heinrich Rudolph Redecker


**Rector Academiae Rostochiensis Henricus Rudolphus Redeker/ IC. & Professor:  
Publ. Ad exequias, quas ... Dn. Henrico Müllero, SS. Theologiae D. & Profess. ...  
Maestissima eius Coniux Hodierno die paratas cupit, Cives academiae omnes &  
singulos amanter invitat : [P.P. Sub Sygill. Rectoratus, ad diem 5. Octobr. Anno  
1675.]**

Rostochii: Kilius, 1675

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn756287286>

Druck Freier  Zugang









Vol. 241. (3.) <SON>











44 4-7  
RECTOR  
ACADEMIÆ ROSTOCHIENSIS  
HEINRICUS RU-  
DOLPHUS *Redeker*/  
J.C. & Professor: Publ.

Ad exequias,  
quas

*VIRO maxime Reverendo, & Clarissimo*

DN.  
HENRICO  
MÜLLERO,

SS. Theologiæ D. & Profefs. celeberrimo,  
Facult. suæ Seniori venerando, Ecclesiæ Rostochi-  
ensis Superintendenti fulgidissimo & Pastori  
Mariano fidelissimo,

Mæstissima ejus Conjux

*Hodierno die paratascupit.*

Cives academix omnes & singulos  
amanter invitat.



Typis IOHANNIS KILII, Universitatis Typ.



RECTOR  
ACADEMIAE ROSTOCKENSIS  
HENRICHUS  
DOLPHUS  
16. & Professor: Publ.  
Ad exequia  
D. N.  
HENRICO  
MÜLLERO





Salutem!



Uam malle, si voti atque  
arbitrii mei res esset, latiori al-  
loquio humanitatis & pietatis  
vestrae, *Cives honoratissimi*, offi-  
cium explorare. At inevitabi-  
lis quaedam fati necessitas acer-  
bissimum vobis funus indicere  
mihi imperat, in quo explican-  
do, quod debiti mœroris est,  
serè obstupesco. Ipse duode-  
cimus hodiè labitur dies, quo terris, Academiae, Eccle-  
siae, suis, nobisque omnibus, adeoque egregio publico  
ereptus est VIR maximè reverendus Dominus HENRI-  
CUS MÜLLERUS, SS. Th. D. & Prof. celeberrimus,  
Facultatis suae Senior venerandus, Ecclesiae Rostochi-  
ensis Superintendens fidelissimus, & Ecclesiastes fulgi-  
dissimus, collega & amicus noster omni pietatis & ho-  
noris cultu, dum vixit, venerandus. Id equidem mihi  
omnino persuasum habeo, nostrum omnium sensus hoc  
luctuoso casu ita turbatos esse, ut, praesenti dolore stupe-  
facti, animi affectum plenè exponere haud queamus. Ja-  
cturam enim, quam in hoc viro pariter omnes fecimus,  
verbis exprimere non licet, & si maximè daretur copia,

A 2

intra



intra angustiam Programmatis dicendorum ordo caderet haud quaquam, cum &, quicquid de hujus viri stupenda eruditione & egregiis animi dotibus eximium dictum fuerit, infra meriti doctrinae & ingenii ejus magnitudinem futurum sit. Proinde, quae ceterum justam & honoram parentationem merentur, strictim in praesentiarum & per summa duntaxat capita delibabimus. Natus autem est pie defunctus die 18. Oct. anno a nato salvatore 1631. & quidem Lubecae, quam liberam Imperii urbem Parentes ejus honestissimi securitatis refugium illo tempore quaesierant, cum hic locorum omnia calamitate belli miserè devastata & tantum non planè exhausta & absunta essent. De morte Imperatoris Augusti plerique, teste Cornelio, vana mirabantur, inter quae, quod idem dies accepti quondam Imperii princeps, & vitae supremus: Nobis, si parva liceat componere magnis, horror animum subit, dum eadem belli calamitate, nullo quidem nostro in publicum merito, sed invalido potius legum auxilio, in principe & novissimo hujus viri die, provinciam nostram vagis populationibus & inultis miserimè desolatam intuemur. Id certè ex rerum argumentis comperitur est, rem sinistrae ominis plenam, nec obiter habendam, si columna, quae nobile aliquod fastigium sustinent, concidant: proin & verendum nobis est, ne viri hujus de Republica & Ecclesia nostra optimè meriti obitus aliquid adversi, in hac publicà tempestate, portendat; cum precibus & consilio tanquam firmissimum fulcrum pro communi salute assidue vigilaverit. Ceterum Pater defuncti nostri collega fuit vir integræ famæ atque fidei, Dominus **PETER Müller** / civis & mercator Rostoch: primarius, nec non Ecclesiae divae Mariae Sacrae provisor fidelissimus, Mater

autem



autem *ILSABE Stubben* matrona sui sexus virtutibus  
decora. Avum paternum habuit virum spectatissi-  
mum Dominum *HENRICUM Müller* / negotiatorem  
in Holsatiâ celebrem. Aviam paternam feminam indu-  
striam dotibusque matronalibus ornatissimam *ANNAM*  
*Epliefen*. Avum maternum laudat *MATTHÆUM*  
*Stubben* / civem & mercatorem inter Rostochienses,  
dum viveret, præstantissimum. Aviam autem maternam  
*ILSABE Schmiedes* / feminam muliebrum virtutum  
decore conspicuam. Honestissimis hisce parentibus na-  
tus & educatus noster *MULLERUS*, in primis statim in-  
fantie annis, ingenuas bonæ mentis scintillas & recondi-  
tas animi dotes ostendit, quas parentes optimi, *Plutar-  
chi* consilium secuti, provida informatione excitan-  
das curarunt, adeoq; filium optimæ indolis & spei præce-  
ptoribus clarissimis erudiendum commiserunt, & felici  
auspicio in Virum Clarissimum Dominum *JOHANNEM*  
*NIGRINUM* Phil. Magist. & Scholæ Rostochianæ Recto-  
rem fidelissimum inciderunt, sub cujus disciplinâ Græcæ  
pariter atque Latinæ linguæ notitiam sibi comparavit.  
Deinde eximius Philologus Dominus *M. JOHANNES*  
*FABRITIUS* Westphalus omnem privatim adhibuit ope-  
ram & industriam, uti ingenium majoribus rebus aptum  
in omni humaniori literaturâ, præprimis autem linguis  
orientalibus, exactius excoleret. Cujus indefessi præ-  
ceptoris gratam memoriam gratus olim discipulus sæpius  
cum laudis & honoris encomio refricare solebat. Philo-  
sophiæ etiam principia, cum vix pubertatem egressus es-  
set, Præceptoribus maxime Reverendis & fulgidissimis,  
Domino *D. JOACHIMO LUTKEMANNO*, Philosopho acu-  
tissimo & Theologo famigeratissimo, nec non Domino



*MICHAEL FALKIO* Philosophiæ Magistro celeberrimo & hodiernum apud Gedanos Ecclesiaste fidelissimo, feliciter hausit. In hac itaque patriâ Academiâ fecunda virtutis & eruditionis semina jecit, quæ progressu temporis in gloriosam messem progerminarunt. Anno enim 1647, cum sextum & decimum ætatis annum vix explevisset, consilio & judicio maxime Reverendi Viri Domini *JOHANNIS QUISTORPII* Senioris, SS. Theol. Doct. P. P. & Pastoris Mariani Superintendentis Rostochiensis Ecclesiæ Clarissimi, in cujus locum officium atque dignitates divinâ providentiâ destinatus erat, ad Academiam vicinam Grypticam se convertit, & in Viri Clarissimi DN. *JOHANNIS BERINGII* Theol. excellent. convictorium, & informationem auspiciatissimo sydere se recepit. Ibi demq; non more pravo, qui abjectissimorum ingeniorum est, turpi otio se dedit, nec in salutatis musis, quod stolidæ præsumtionis est, statim altiora invasit, sed adhibitâ indefessâ diligentâ & servato studiorum ordine philologiæ & philosophiæ abdita tam feliciter quam obstinatè per triennium penetravit: & cum, emenso philosophiæ curriculo, reconditus doctrinæ thesaurus in corpore honoris cupido latitare nequiret, sub præsidio laudati *BERINGII* nec non Clarissimi *BATTI* publicè, non sine doctorum applausu, disputavit; ut domum reversus parentibus & fautoribus peracti nobilis triennii rationem publico testimonio redderet. Anno 1650. in hanc patriam Academiam à suis parentibus revocatus, nō permittit, ut otio aut inertia, inter dulces parentum amplexus, torpesceret animus ad majora formatus, sed studia sua sub Dni. D. *MAURITII* & Domini Doctoris *VARENI* Theologorum & Professorum hujus Universitatis nostræ celeberrimè



berrimorum summâ cum laude continuavit, & Præsîde  
Domino *VARENIO* duas Disputationes publicè non sine  
gloriâ defensavit. Anno itaque sequenti cum indubiam  
singularis eruditionis fiduciam tot argumentis declaraf-  
set, ad gradum Magisterii in artibus, non sordidâ ambitio-  
ne, sed perspecto virtutis & doctrinæ splendore evehctus  
est. Postquam pie defunctus primæ adolescentiæ spati-  
um tam laudabiliter seposuit, & ad ulteriorem doctrinæ  
& præprimis studii Theologici perfectionem aspiravit,  
peregrinationem, ad illa loca, in quibus commorari vi-  
ros celebres & florere maxime studia Theol. sciscitatus an-  
tea erat, suscepit, Dantiscum ergo profectus est, ut cum  
Clarissimo *BOTSACCO* Theologo & Philosopho insigni  
studiorum suorum rationem conferret, qui illum singu-  
lari cum favore admisit. Inde in Regiomontanam con-  
cessit Academiam, ubi celeberrimis Theologis Domino  
*MISLENTÆ* & Domino *DREIJERO* se familiarem & cha-  
rum, non sine magno studiorum suorum emolumento,  
reddidit. Ex Borussîâ discedens, parentum suorum ar-  
bitratu, superioris Germaniæ Academias invisere confi-  
tuit, cum compertum haberet, Studii Theologici exerci-  
tia, quibus impensus tandem delectabatur, in illis ope-  
rosè & sedulo tractari. Per illustriores itaque urbes Lu-  
becam, Luneburgum, Brunsvigam, & Guelferbytum in-  
Juliam, inde in Lipsiensem profectus est Academiam,  
ubi magni nominis Theologos, quibus industriam pro-  
bavit suam, invisit, & in convictorio Domini *BENEDICTI*  
*CARPZOVII* ad tempus subsistens, pariter *LANGII*, *HUL-*  
*SEMANNI* & *GEJERI* amicos favores facilè obtinuit. Li-  
siâ discedens Wittebergam adiit, ut venerando *CALO-*  
*O* & *MEISNERO* innotesceret, quod etiam ex animi  
senten-



sententiã obtinuit. Hinc in Lipsiensem reversus Academia Disputationem Theologicam eleganter & orthodoxè conscriptam, Præside *CARPZOVIO*, gnaviter tutatus est. In ultiores terræ Christianæ partes dein peregrinationem meditabatur, quã tamen, præ invalidã corporis habitudine, aggredi non est ausus, quin potiùs, perlustratã in transitu Academia Jenensî, salutatisque ejusdem Professoribus, per Principatum Anhaltinum, & Marchionatum Brandenburgensem, ad suos se recepit. Redux autem, bono cum Deo, factus, Parentibus charus, amicis gratus, & bonis omnibus expectatus venit. Nec defuerunt, qui honestos ejus conatus omni humanitatis promptitudine adjuvarent, & quidem inter studiosos juvenes tanto inclaruit honore, ut ejus collegia avidissimè frequentarent. Eodem tempore Methodum politicam, scite conscriptam, per disputationes edidit, nec minus in concionando, ut omnes partes docti viri expleret, sese facundum & eruditum præbuit. Senatus itaq; Rostochiensis, ut concivis sui filio feliciter reduci & ad majora educto, suam etiam testaretur benevolentiam, illum, cum annum vigesimum secundum vix superasset, inter Candidatos ad Archidiaconatum, tunc in æde Mariana, vacantem, retulerunt, ad quam Ecclesiæ spartam communi civium suffragio vocatus & solenni ritu introductus est, non quidem aliã de causã, quàm quia in primis merebatur. Cum itaque studiis & officio, nisi familiæ curã fideli sociæ demandatã, commode vacare nequaquam posset, procreandæ sobolis, mutuique auxilii causa Virginem honestissimam & lectissimam *MARGARETAM ELISABETAM*, Viri Spectatissimi Domini *MICHAELIS Sibrands* / Civis & negotiatoris hujus urbis primarii,



rii filiam unicam & svavissimam, viduam hodie moestissi-  
mam, sibi matrimonio junxit, quæ, quia conjugium il-  
lud, Deo benedicente, ex voto successit, desideratissimi  
mariti obitum acerbè luget. Uti autem consortium illud  
vitæ, ex conjugis virtute & amore sincero, dulcissimum,  
ita nec infœcundum expertus est, sextâ enim prole ma-  
ritum beavit. Quos inter *JOHANNES MICHAEL LL.*  
Studios. *HENRICUS*, Scholæ Gustavoviensis discipulus, &  
*CASPAR MATTHÆUS*, in domo & complexu Parentum  
huc dum educatus, pet Dei gratiam, superstans, & inspe-  
ratum venerandi patris funus calidissimis lacrimis pro-  
sequuntur. Reliqui, uti *PETER*, *CATHARINA*  
*ELISABETA*, & *CHRISTIAN BERNHARD*, inverso qui-  
dem mortalitatis ordine, sed placidâ morte decesserunt.  
Ceterum ministerium illud ecclesiasticum, ad quod ca-  
nonicè, i. e. secundum regulas Ecclesiæ Orthodoxæ, sine  
sorditiæ & simoniâ, fuit vocatus, tantâ cum curâ, tantâ-  
que cum solertiâ, juxta paulinam institutionem, obiit  
& exornavit, ut omnes partes pastoralis officii, expleret.  
Nec tantum divini verbi oracula, quæ operosè didice-  
rat, Auditoribus suis fideliter enarravit, viamque æternæ  
salutis voce simul & exemplo monstravit, sed insuper in-  
genii excelsi vires, & eruditionem profundam, in acade-  
micis laboribus, non sine ingenti studiolæ Juventutis  
commodo, cottidiè explicuit. Hinc Senatus urbicus,  
ceu academix hujus compatronus, egregium hunc vi-  
rum, de cujus infatigabili labore & stupendâ eruditione  
apud doctos constabat, academico muneri, ad quod na-  
tus & factus erat, seque in omni vitâ paraverat, præficere  
studens, ipsi primùm Professionem Theologiæ extra or-  
dinariam, cum alia tunc temporis non daretur vacua,  
anno 1655, decrevit. Cum autem illa Professionis col-

)( )(                      latio



latio à Sereniss: Ducibus Mechlenburgicis academia nostra Patronis gratiosissimis & Dominis nostris clementissimis, in dubium vocaretur, maluit noster MULLERUS ambiguum illud officium potius modestè declinare, & quietiorem functionem expectare, quam illo dissidio se se in anceps dare, adeoque Professionem græcæ linguæ, paulo post vacantem, suscepit, eamque cum gloriâ exornavit. Quoniam autem præcipuam operam studio theologico impenderat, venerandus Theologorum ordo in Academia Juliâ ipsum, anno 1660. Theologici Doctoratus ornamentis, insignibus, privilegiis, & honoribus auxit, & fraterno complexu in societatem theologicam recepit. Nec id fortuito factum videbatur, postquam enim anno 1662 Vir maximè Reverendus & Excellentissimus Dominus *CASPARUS MAURITIUS*, S. S. Theol. Doctor atque Professor celeberrimus, nec non Superintendens & Pastor Marianus fidelissimus, amicus & collega noster, dum vixit, conjunctissimus, ad Pastorum Ecclesiæ Jacobæ, quæ Hamburgi est, sollicitaretur, ei que vocationi morem gereret, illi officio surrogando nullus nos apud idoneos videbatur, quàm ut Archidiaconus in locum evocati Pastoris succederet, & Professor Græcæ linguæ ad Professionem Theologiæ promoveretur. Hoc autem novæ dignitatis augmentum, quod ingenium ejus sublime, doctrina stupenda, labor indefessus, eloquentia mellita & pathetica, nec non pietas sincera merebatur, anno 1662, suscepit, idque sine fastu & sine supercilio ita exercuit, ut laudem ab omnibus, vituperium nisi ab invidis & insensis indeptus sit. Tandem, ut omnem dignitatis apicem, quem hic locorum capere vel expectare poterat, supergredere, anno 1671, cum mortalitatem



tem exuerat Vir pl. Rever. & Clariss. Dominus *M. JO-*  
*HANNES Cansler* / Pastor Petrinus & Superintendens  
Rostochiensis vigilantissimus, unanimi suffragio illorum,  
qvibus de eâre notio est, Superintendentis munus ipsi de-  
latum, & per Serenissimos nostros Duces, qvibus, inter  
reliqva superioritatis jura, etiam Episcopalis auctoritas  
in hanc urbem competit, ita adprobatum est, ut Vir ma-  
ximè Reverendus & Clarissimus Dominus *M. JACOBUS*  
*Sommerfeld* / Superintendens Ducalis in districtu par-  
chimenâ cum, solenni & canonico ritu, speciali ad id  
Mandato instructus, investire jussus sit. Cœterum defun-  
ctus noster *MULLERUS*, diverso munere clarus, id pro  
viribus egit ut partes sibi demandatas cum gloria su-  
stineret. Theologiæ enim Doctor atqve Professor or-  
thodoxam religionem, cui totus deditus fuit, inteme-  
ratam professus est, eamqve ab omni labe & maculâ sin-  
ceram conservare, qvam potest à quoqvam fieri, studuit  
semper & allaboravit, cujus rei tam multa tamqve illu-  
stria sunt argumenta & documenta, ut probrosum mihi  
videatur, operose id velle probare. Testantur id varia  
ejus scripta, qvæ in gloriam Dei, Ecclesiæ orthodoxæ  
propagationem, Christianorum salutem, & studiosæ Ju-  
ventutis emolumentum & commodum, publici juris  
fecit, qvæqve apud Illustres pariter & inferioris sortis  
homines magni æstimantur. Ego autem illis, & qvæ ner-  
vosè elaborata adhuc prodibunt posthuma, enarrandis  
& exornandis ideo supersedeo, qvia spectabilis Facult.  
Theol. Decanus illo me labore levabit. Testabuntur  
Patres academici, & in primis venerandus Theologorum  
ordo, qvâ integritate, fide, curâ, studio & dexteritate do-  
ctoris partes sustinuerit. Testabuntur studiosi juve-  
nes,

)o( )o( 2

nes,



nes, qui theologico studio in hac nostrâ Academiâ navarunt operam, quique docentem pene quotidie, dum vires, valetudo & otium permetterent, audiverunt, ejusque disciplinâ ac studio profecerunt. Rectoris Magnifici dignitatem ter sustinuit, illoque, summo ceterum in hac urbe officio, cum omni laude & omnium gratiâ defunctus est: dum privilegia & jura academica, ab inimicorum insultu, intacta tecta servavit; justitiam ex æquo administravit; civium academicorum commodum egregiè curavit; & plures studiosos, qui Sacris initiati, aut sacræ scientiæ consecrandi erant, ad altiora munia ecclesiastica idoneos reddidit, adeoque nullum laborem Academiae bono promovendo subterfugit. Superintendentis quoque dignitatem, instar boni Episcopi, summâ cum vigilantia, summoque cum decore, tutatus est, quod reverendum hujus urbis Ministerium indubitato testatur suffragio: Nam quæ in Ecclesiâ hac, ad normâ divinæ voluntatis, vel corrigenda vel augenda erant, illis abrogandis aut constituendis erat anxie sollicitus, quæque in meliorem ordinem & harmoniam reponere destinabat, agitabat adhuc & consulebat secum, & cum reliquis ecclesiæ ministris. Pastoris Ecclesiæ munus stupendâ cum admiratione absolvit: Uti enim erat orator facundissimus, & durissimo labori assuetus, non habebat necesse mordere ungues, versare manus, vel anxie conquirere verba rebus proponendis commoda, sed, quæ erat par ingenii velocitas & judicii perspicacitas, noverat eleganter pondera rerum gratissimis exornare verbis, auditorum aures suavissimo orationis genere demulcere, & corda indurata acriter ferire ac flectere. Non tamen unquam ex abrupto academicam vel ecclesiasticam  
cam



cam conscendit cathedram, id enim temeritatis potius,  
 quam prudentiæ esse reputabat, sed præmeditata cun-  
 cta & in artem composita, tam doctè, tam nervosè, tantâq;  
 cum parrhesiâ proposuit, ut quasi ab ore ejus pendere vi-  
 si sint religiosi pietatis Auctores; nec unquã aliter publi-  
 cè dixit, quam dicta litteris promulgavit. Adeoq; magno  
 cum populi beneplacito, majori cum auditorum fructu  
 & animarum compendio, Evangelium Domini prædica-  
 vit, rudes in fide instituit, flagitiosos ad meliorem vitæ  
 rationem admonuit, & ita omnia sacri ministerii & evan-  
 gelicæ religionis officia, nunquam frigidè, nunquam  
 remisè, sed sedulò semper & summâ fide, summâque ala-  
 critate percoluit. Ast, quæ est rerum humanarum vi-  
 ciscitudo atqve miseria, & quod fuit tenne & infirmum  
 hujus viri corpus, magnæ equidem animæ infidum ho-  
 spitium, dum multa præclara molitur, dum inter ho-  
 norificas ad altiora munia vocatione anxius hæret, fas-  
 talimorbo illustre hoc Ecclesiæ christianæ ornamen-  
 tum, & Academia nostræ decus, corripitur, cujus causâ,  
 progressum & pertinaciam Vir Excellentissimus & Experi-  
 entissimus Dominus JOHANNES BACHMEISTERUS Me-  
 dic. D. & Prof. Publ. Collega, Compater & Amicus no-  
 ster honoratissimus, sequentibus delineavit argumentis.  
*Dirus ille Natura hostis, qui passim doctos occupat Viros,*  
*quemque Medici Prudentum Morbum, Phavorinus Academi-*  
*cus vero apud Gellium heroicam affectionem nunciat, Vi-*  
*rum Maxime Rev. Amplifs. & Excell. Dominum HENRI-*  
*CUM MULLERUM, S. S. Theol. D. & Prof. famigeratiss-*  
*imum, Collegam & Amicam meum olim asperatissimum, nunc*  
*nunc eheu! desideratissimum aliquot annorum serie valde cor-*  
*si, variisque symptomatum satellitibus stipatus (apissime ag-*  
 )o( )e( gressus



gressus est. Seria quippe lucubrationes, continuæque meditationes, quibus tum in edendis doctissimis scriptis, tum in elaborandis Lectionibus Concionibusque sacris dies noctesque occupatus fuit, copiosos pro cerebro corroborando desiderabant abripiebantque spiritus, quibus cum calore abreptis, primæ & secundæ coctionis succos coquendos non bene emendabat, sederudos relinquebat, qui postea in vasis stabulabantur, totamque Corporis Oeconomiam perturbabant. Sæpius quidem tum meæ, tum etiam Honoratissimi mei Collegæ Dn. D. SEBASTIANI WURDIGII, P. P. sollicita manus assistente divinâ gratiâ, vim morbificam adhibitis, medicamentis appropriatis, repulit. Verùm uti maximam partem fieri solet, quod morbus hicce mora temporis in Scorbutum degeneret, genius enim fermenti cujusdam Scorbutici ex *oxyg* humorum vitiosorum fermentantium progeniti, & labem vite balsamo affricantis, Vires hic suæ singulariter exerit. Ita etiam eandem fortunam pro dolo! noster jam pie functus Dn. Superintendens expertus est; Hinc modò lassitudines membrorum, modò oris humores, faucium exulcerationes, & varia alia Scorbutum concomitantia oriebantur, que omne vite oblectamentum ipsi auferabant, donec tandem accedentibus variis curis ac molestiis nec non persecutionibus gravissimis, quas non ita pridem maximo animi cum cordolio, citra meritum tamen, devorare coactus est, octavo Mensis Junii currentis Anni die insperatò Febris illum invasit satis vehemens & maligna, ipso momento quo Concio Funeris Dn. ANDRÆ WOLFII Senatoris quondam Rostochiensis optimi habenda erat, quam etiam durante adhuc paroxismo è cathedra ecclesiastica recitavit; Domum verò reversus lectum statim petere coactus est, quæ cum gravioribus symptomatibus, Vigiliis puta continuis, æstu implacabili, siti intolerabili



rabili, vires optimi hujus viri satis antea teneras infestaret,  
adhibitis tamen consilio nostro remediis legitimis, praterlapso  
menstruo spatio, remittere quasi pollicerique natura meliora  
videbatur, quamvis frustra. Nam tertio vel quarto statim  
die post resumebat iterum perimax hoc malum vires suas, &  
in omnes ferè corporis partes virus suum evomebat, tantumq;  
negotium faceſſebat, nunc latera lancinando, nunc igneas fa-  
ces accendendo, nunc tormentorum vim adhibendo multiplici  
rumore ima corporis concutiebat & murmuratione ac vento-  
rum sonitu & turbine adimplebat: Nec minus Cor ipsum  
Pbæbus Microcosmi perennisque vitalis fons caloris maligno-  
rum horum effluviolorum occurſu laceſſitum fremebat ac lu-  
ctando tumultuabatur ad expulſionem tam ingrati hoſpitis. Ille  
raccam qua incommoda ipſa regia mentis ſedes cerebrum  
ſenſerit, quosque alios ferocia ſua adſcriberit ſocios hoſtis bic-  
ce polymorphos & furibundus, quibus omnibus conſepiendis  
obviam quidem & nos, & tertius DN. Medicus BERNHAR-  
DUS BARNSTORFIUS, conjunctis invimus viribus. Verùm  
omnia fruſtra tentata, ac ſymptomata adeò cumulata ſunt,  
ut omnem noſtram induſtriam, malo ſuperante, eandem viri-  
bus DN. eger deſiceret atque inter ſuſpiria adſtantium die 23.  
7tembris intra quartam & quintam pomeridianam placide  
animam exhalaret, nobis omnibus maximum ſui deſiderium  
relinquens.


Cum autem noviffima imminere, & vim invaleſcentis  
morbi Medicorum arti & induſtriæ obniti ſentiebat,  
diem 23. Septembris precibus devotis ad horam quar-  
tam tranſegit, deinde uxorem ſvaviſſimam, Liberos & So-  
rores, acerbis lacrimis dolorem & mœſtitiã reſtantes, ipſe  
ſolatus eſt. cumq; ſuorum auxilio ex lecto ſurgeret, conti-  
nuò autè vires ejus deſicerent, recumbens, in vocato no-  
mine JESU, inter aſtantium preces, circa dimidiam quin-  
tam




ram, placidissimo sine animam exhalavit, suoq; Creatori, anno ætatis 44, reddidit. Nostrum erit, Cives honorarissimi, dolorē, quem ex tristi hoc funere cepimus, publicè testari, & illi, quē satis lugere nō possumus, postremū pietatis & humanitatis officium persolvere. Cum itaq; corpus, nobilissimæ huj⁹ animæ habitaculū, hodiè circa horam I. consveto inter Christianos ritu, ad conditorium suum transferendum, & terræ omnium matri, in firmam futuræ resurrectionis spem, demandandum, quid nostri muneris sit, nullo equidem svasore, sed nostræ sponte, ni hominem omnemqve humanitatem exuerimus, discernere habemus, nec sine gravi culpâ prætermittere possumus. Non caruere quidem æqueviæ hæc tristissimæ, ut par erat, & tanti viri claritas merebatur, in hodiernum usqve diem, suis querelis, suisque lacrimis largiter, quod nostris oculis vidimus, impensis siquidem Ecclesia Rostochiensis, ejusqve venerandi & fideles Ministri vigilantissimum suum lugent Pastorem & Superintendentem; Vidua mæstissima acerbissimo fletu & gemitu, duro quasi telo percussa conjunctissimi amoris maritum prosequitur; Liberi, optimo patre orbati, qui miseram sortis suæ conditionem nondum intelligunt satis calidissimis lacrimis dolorem suum testantur; Sorores, magno vitæ præsidio & solatio destituti, largo fletu fratrem unicum desiderant: Nos tamen quoq; in Collegam, Parentem & Præceptorem, quem vivum debito honoris cultu venerati sumus, affectū nostrū declarare tenemur; Nec possumus majori animi significatione affectum & pietatem nostram, qua pie defunctum prosecuti sumus, testari, quam si frequentes funus hoc acerbum ad suum comitemur conditorium, & viro summo supremum quidē & triste justum tamen & debitum, honorē persolvamus.

*P. Sub Sygill. Rector atus, ad diem 5. Octobr. Anno 1675.*






















the scale towards document

Image Engineering - Scan Reference Chart TE263 - Serial No. 09A  
Patch Reference numbers on UTT

ges ac Principes sæpè attoniti audivere : Sua-  
 eminentis vim , non secus ac Demosthenici  
 petum imperij Proceres sæpè sensere. De  
 non tantum privati, sed & publici partibus,  
 inis forma, de religionis purioris vindicijs,  
 libus rectè instituendis, litium prolixis telis  
 ad publicam salutem conservandam necessa-  
 ovellorum nostri ævi, novas Utopias somni-  
 lut alter Sulpitius, studio, usu, experienciâ, &  
 sed & archivis actisq; publicis haustâ scientiâ  
 planè lepore differebat. Deniq; Encomio Lucij  
 storû disertissimû & oratorû jurisperitissimû  
 t. Accedebat naturalis cum decenti venustate  
 ta gravitas, in divino cultu pietas, in homini-  
 s, in negocijs expediendis dexteritas, in adver-  
 peris continentia, in fortunæ instabilitate  
 quâ bonæ conscientiæ scuto munitâ, omnes  
 umniarum, invidiæ & livoris ictus ac morsus  
 repulit. Aulicis negocijs gravibusq; causis  
 & occupatissimus fuerit, semper tamen  
 in respexit, ejus ut quondam alumnus, ita  
 as defensor, imò & excultor perpetuus fuit.  
 oz. viro consultissimo Joanne Albino, pandectarum Pro-  
 bente, eidem in officio susceptus & in collegium Juridici  
 us fuerit; præstitit se quoq; in hac vitæ statione fidum  
 siones crebræ, publicæ curæ & molestiæ, eum aulicos &  
 iri & Labeonis Jcti exemplo annum quasi cum labori-  
 quibus tamen cum sensim nimis irretiri & aulæ astringi  
 caria viri consultissimi Christiani Obmichij J. D. exitij,  
 demicum sibi creditam, luculenter fœneravit. Virtuti-  
 n adversus affectuum motus, & adversitatum impetus  
 mavit, seq; invictum reddidit : ast à morbis corporis se-  
 otius quò animo fortior, eò semper fait corpore debilior:  
 um in itinere quodam officij ratione suscepto, correptus  
 ti initio typum tertianæ simplicis gessit, ita non multò  
 sentavit, & in adis inducijs indultis, majori paulò post  
 ruans, incrementum sumpsit, in quartanam degenerans,  
 Accesserunt lienis & mesaræi obstructions, & quart-  
 poles scorbutus, perennis itidem à capite ad fauces & pul-  
 alcens indelinens tussis, cujus vehementia, venula pul-  
 monum